

www.e-rara.ch

... Theses de morbo Hungarico

Böcher, Martin

Basileae, 1606

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-18319>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



ARCHIATRO COELESTI
Auspice, Duce, Præside.
T H E S E S
D E
MORBO HUNGARICO.

Q U A S,
Jussu & Auctoritate
Amplissimi Excellentissimiq; Senatus
Aclepiadei in alma Academia
Basileensi,
*Pro summis in ARTE MEDICA honoribus,
& privilegiis Doctoralibus con-
sequendis,*
publicè & placidè examinandas
proponit

MARTINUS BÆCHERUS
Austriacus.

Ad diem 29. Decembr. loco & horis solitis.

B A S I L E Æ,
Typis IANI EXCERTIER.
M. DC. VI.



Catalog



ILLUSTRIB. AC GENEROSIS
BARONIBUS,

NOBILISS. item ac STRENUIS
HEROIB. ut & EQVITIB.

Archiducatus Austriae superioris

PRÆSIDI

ET

DEPUTATIS ORDINARIIS,

DD. suis Clementissimis

*Hanc suam de MORBO HUNGARICO
Inauguralem Disputationem*

IN

debitæ gratitudinis & submissæ ob-
servantiæ SYMBOLUM

Humiliter & submissè

Offert atq; Inscribit

Martinus Boecherus.





De
MORBO HUNGARICO

THESIS PRIMA.

MORBUM HUNGARICUM Germani propter continuos & gravissimos capitis dolores, qui hunc comitantur, die Hauptkrankheit/ Itali verò & Galli propter maculas lenticulas referentes per cutem efflorescentes, febrem lenticularē vocant.

II.

Hungaricum vocamus, quòd Hungaria Endemius & familiaris olim fuerit, (initium enim ad Comaronium, incrementum juxta Jaurinum Anno 1566. sumxisse dicitur) & licet in alias nūc quoq; regiones invadat, tamē nomen ab aliis illi impositum retinere placuit.

III.

Describitur autem, quòd sit Febris putrida, maligna, inconstantis, dubiæ & ancipitis naturæ, maculis lentium magnitudinem vel pulicum morsus, & nunc rubecum, nunc alium colorem representantibus per cutem efflorescens, quā correptos magnam humorum ebullitionem & perturbationem pati videmus.

IV.

Causæ febris modò descriptæ duplices nobis occurrūt, eaq; vel Procatareticæ scē Externæ, vel Internæ; hæq; vel Antecedentes, vel Continentes.

V.

In Externarum genere primus locus tribuitur Aëri præter naturam affecto, & à putridis ac malignis vaporibus atq; exhalationibus polluto & inquinato.

VI.

Oriuntur autē huiusmodi inquinamenta, ac in aërem

deferuntur à cadaveribus praelio cæsis, à paludibus stagnantium aquarum putridis, pluviis praviorebus, aquarum item alluvionibus in pratis virentia grassantibus (ut inquit Valleriol. obser. v. l. 2. obs. 1.)

VII.

Hinc mirum non est, hanc febrem ab Hippoc. & Aëtii tempore delitescere in Hungaria repullulasse. Hippocrati autem notam fuisse, ex verbis, quæ posuit lib. popul. part. 3. Fiebant autem in febribus æstivis, &c. Et 7. in hist. Fullonis: Fullo in Syro, &c. Item Aëtio, ex lib. 5. de febr. exanth. Gignuntur quoque, exanth. &c. colligitur.

VIII.

Ad causas evidētes refertur prava victus ratio, cum videlicet nullus eius observatur ordo, nec quantitas, nec qualitas: Fructuum immaturorum, aliorumque alimentorum impurorum immodica deglutio.

IX.

Unde iterum perspicuum est, luem hanc in Hungaria facile potuisse repullulare, cum misceri milites panem modò mucidum, modò furfuraceum, modò ex clibano ferventē, carnes adhuc tremētes, equinas item semicrudas ingurgitare, potum quavis lacuna turbidiorem superhaurire cogantur. (ut loquitur D. Coherus de cad. 1. obser. v. 1.)

X.

Huc accedunt denique, consuetarum excretionum suppressiones, otium, ignavia, animi perturbationes vehementiores, & alia.

XI.

Ex his præsuppositis, prava nim. victus ratione, & cæteris, facile erit invenire causam huius mali antecedentem, impuros videlicet & superfluos humores, vel in toto corpore, vel in certa aliqua parte à prava tali diæta collectos.

XII.

Tales itaque, humores superfluos corpus non disponere & preparare quasi ad concipiendam cum aëre inspiratam malignitatem quis negabit?

XIII.

Hinc causam continentem & proximam huius febris, esse humores putridos & malignitate ab aëre inspirato contaminatos, quivis intelliget.

XIV.

Signa diagnostica huius morbi, præmissis eiusdem causis jam recensenda. Sed cum horum plurima aliis etiã affectibus sint communia, cumq; altissimè & insidiosissimè in corpore reconditus jaceat hic affectus, cognitu & præsertim in principio est difficilis.

XV.

Verum sciendum, talia signa si concurrant, regnante eiusmodi Epidemiã, neglectaq; ab homine prius debitã victus ratione, facile præsentiam huius febris significare.

XVI.

Initiò itaq; adest totius corporis langvor, & correpti se desessos ac elumbes esse, seq; osium quasvis compages contractas quasi & contusas habere pronunciant.

XVII.

Deindè adest calor malignus, quo viscera interdum magis quàm extrema corporis uruntur, quemq; gravia mox concomitantur symptomata.

XVIII.

Pulsus celer & inæqualis percipitur. Virium subita prostratio. Vomitus & nausea à maligna humorum in ventriculo putrefactione, undè omnes serè de nimio ventriculi conqueruntur dolore.

XIX.

Sitis pro humorũ in ventriculo exuperantiã & naturã interdum inexplebilis, interdum non adeò inicientia. Lingvæ ardor, eademq; scabra conspicitur. Respiratio difficilis & fætida. Cordis tremor & palpitatio ob malignos vapores, quos excutere conatur.

XX.

Capitis dolor cõtinuus, & peculiari in hac lue cõditione malignus. Vigilie, deliria, furores, convulsiones. Non-

unquam somnus sed turbulentus & phantasiis plenus, affectus soporei, diarrhoeae, dysenteriae, superveniunt.

XXI.

Urina licet ab initio interdum sit bona & naturali similis, in progressu tamē frequentius flammae, crassa, foetida, turbata, cū sedimento crasso, turbido & foetido cōspicitur.

XXII.

Maculae deniq; lentium formas aut pulicū morsus referentes, si praecedentia nonnulla malignitatē denotantia, fuerint conjuncta, certissimum huius febris signum.

XXIII.

Prognostica. Incerta & ancipitis naturae cū sit haec lues, nihil certi pradicere possumus, huiusq; rei testis est experientia. Quare merito hic locum habet illud Hippoc. 2. aph. 19: In morbis acutis incerta sunt praedictiones & salutis & mortis. pauca tamen ab aliquibus observata adducere placet.

XXIV.

Sudor ab initio morbi tutior quā in progressu, viribus, nim. magis magisque cadentibus. Urina tenuis & aquosa, alba itē vel nigra, vel plumbea mala. Fluxio alvi nimia, viribus tanta fluxioni imparibus, mortem arguit.

XXV.

Quibus Lethargus, vel phrenitis, vel convulsionēs superveniunt, ii raro evadunt. Sicut & ii, quibus lingua nigricans & aspera, respiratio difficilis & frigida, pulsus imbecillus ac parvus.

XXVI.

Maculae in principio statim efflorescentes, magnam ubiq; humorum ostendunt malignitatē. Quae plumbeum colorem referunt, deteriores habentur, quā quae sanguineum seu rubeum.

XXVII.

In Curatione huius mali considerabimus Dietam, Chirurgiam, & Pharmaciam. Ad Dietam refertur Aer, qui sit talis, qualis huic febre contrarius. Cibis sit

sit paucus, boni succi & concoctu facilis. poriones refrigerantes & medicamentose simul. Somnus & vigilia variant ratione accidentium. Animi affectus, ut, tristitia, metus, ira, fugiendi, adq. letitiam & spem bonam incitandi sunt agri.

XXVIII.

Chirurgia respicit vena sectionē, quæ si vires ferant, aliq. accidentia non interdican, præcipuē si conjuncta fuerit plethora, instituenda. Corpore purgatio. maximam utilitatem cucurbitularum ad crura. & hirudinum ad nates applicationem asserre, ab aliis observatum est.

XXIX.

In pharmacia vacuantia, alterantia, putredinem malignam tollentia, symptomata mitigantia & corrigentia respicimus. His tamē semper utiliter permiscentur. quæ vires conservare solent.

XXX.

In Evacuatione locus primus, præcipuē si alvus nimium fuerit astricta, clysteribus tribuitur. Secundo magnum usum habere vomitoria observatum est. Clysteres parare possumus ex decocto herb. 4. emoll., hord., rad. alth., sem. anis. flor. viol. chamomil., ol. viol., amygd. dulcium, Cass., Manna, Syrup. ros. solut., sacch. & sal. Vomitorium fieri potest, ex decoct. hord., raphani, rad. asar., oxymelite, aq. acetos. & oleis.

XXXI.

His præmissis præparatio humorum superfluatorum in corpore relictorum instituenda, admiscendo semper ea, q. vim habent malignitatis resistendi. Talis præparatio fieri potest ex aq. viol., acetos., card. benedict., syrup. acetos., limon., acetos. citri, de cichor. f. violarum, &c.

XXXII.

*Præparationi succedat Evacuatio, q. propter virium imbecillitatem & morbi naturam, benignioribus magis, quàm vehementioribus instituaturs catharticis, ut
syrup.*

syrup. ros. solutiv. de sen. domestic. de cichor. cum sen. & Rhab., Extract. Rhabarb. & aliis.

XXXIII.

Natura prater eam motum respicere optimum est, ut si opus fuerit, eundem promoveamus vel diaphoreticis, vel diureticis, &c. Observantes aph. Hipp. 21. l. 1. ubi inquit: Quae educere oportet, quod maximè vergere videbuntur, ducito, viis & locis utiliter eò ferentibus.

XXXIV.

Alterationem quod attinet, ea frigidis perficienda, quae tamen sint moderata, eaque vel Interna, ut, conserv. ros. viol. syrup. item, &c. vel Externa, ut, Epithemata, quae carpo. & regioni cordis applicantur, ex aq. ros., viol., Nymph., Borrag., Bugloss., spec. diarrhod. abb., diamarg., frig., diacoral. addendo parum ol. destillat. Angelic. vel Arantiorum, item acet. ros. &c.

XXXV.

Malignitatem huius febris peculiarem corpori impressam corrigunt & tollunt ea, quae longo rerum usu sunt probata atque observata. probatur autem inter alia pulvis Witichii adversus luem Hungaricam, cuius descriptio in tractatu suo de febr. Hungaric. germanico talis est: Rec. Flor. sulph. ʒj. succin. albiß. prepar. Corn. Cerv. ust. & preparat. an. ʒß. Terr. Sirigensis Siles. ʒij. F. pulv. subtiliß. qui exhibeatur cum aq. nucum, scordii vel cortic. citri.

XXXVI.

De symptomatum denique urgentium mitigatione & correctione, cum pro eorum diversitate sit diversa inquit, aliis morbis ferè eadem, brevitatis gratiâ hic nihil agemus. Corollarii tamen loco unicum hoc addere placet:

An petechiarum vel macularum exitus in hac febre sit juvandus?

F I N I S.











